



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 73. Scriptorum A catholicorum lucubrationes & obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

tationem apologeticam de ignorantia Sæc. XVII.
 invincibili & opinionum probabilitate, A. C. 1677.
 Eliæ villonem de Conceptione B. V.
 Christianum monitum contra Christia-
 num Lupum, Caussam Christorum
 Dei pro Joanne XL IV. Patriarcha
 Hierosolymitano adversus eundem, Pa-
 rochiale Apologeticum contra Parocho-
 phylum, Christi Fidelium contritio-
 nale, Clypeum contritionis, Examen
 Theologicum instructionis Vam - Bu-
 scensis Romæ damnatæ, Lupum ca-
 ptum, Luctam D. Thomæ, Motivum
 juris pro excusatione Mendicantium a
 gabellis &c. præter suum Armamen-
 tarium.

§. LXXIII.

*Scriptorum A catholicorum lucubra-
 tiones & obitus.*

Paucos ex Scriptoribus A catholicis Freher
 adjungere lubet, & primo quidem theatr. E-
 apud suos eminuit Christophorus Bu- rud.
 læus, qui censuram Historiæ a Joanne Mem. Ca-
 Hofero de suo ad Catholicos transitu rol. p. 180.
 scriptæ, Lusus Afranos, Cunam Christi,
 Mensas Atticas aliaque edidit. II. Da-
 niel Ludeman scripsit sermonem Ireni-
 cum pro pace Germaniæ, descriptionem
 Historicam B. Virginis Marga-
 rethæ, & tractatum de extremo Judi-
 cio.

Sæc. XVII. cio. III. Ludovicus Jacobi typis vul-
A. C. 1677. gavit tractatum de Jeremiæ Proph. vo-
 catione, fidei confessione in Messiam
 & ejusdem Auditoribus, scripsit etiam
 de schola Regia Nathanaelis & de ab-
 usu cometarum. IV. Petrus Auriv-
 lius elucubravit Hypothypesin doctrine
 Papisticæ de merito operum, & di-
 sputationes de igne, de una anima,
 de bono Principe, & Epicuri voluptate.
 V. Christianus Ravius posteris reliquit
 versionem novam in Caput IV. Genesis
 concordantiarum Hebr. & Chald. epi-
 tomen, Catalogum MS. Orientalium,
 Chronologiam Biblicam, Catenam
 magneticam annorum Mundi, disputa-
 tiones de vindicta & de plenitudine ad-
 ventuali Jesu Christi in carnem. VI.
 Guilielmus Lucii prælo subjecit censu-
 ras in Hobbesii Leviathan, & quas-
 dam Socinianorum & hæreticorum sen-
 tentias, præter tractatum de natura
 Ministri Divini. VII. Joannes Con-
 radus Dürrius, scripsit institutiones
 Ethicas, problemata moralia, Chri-
 stianismi eversionem per dogmata So-
 cinianorum, compendium Theologiæ
 moralis, & centuriam problematum
 moralium. VIII. Bonifacius Höltzlin
 edidit Praxin Biblico - Catechetica,
 libellum de Turcarum origine, præter
 alios exigui momenti libellos. IX. Guili-
 elm-

lielmus Momma, qui ob Cocceianas Sæc. XVII. A. C. 1677.
 novitates suo officio amotus posteris re-
 liquit Oeconomiam temporum, præ-
 lectiones Theologicas, explicationem
 epistolæ D. Pauli ad Galatas & Roma-
 nos, & meditationes in Catechesin
 Heidelbergensem.

§. LXXIV.

*Calvinianæ Pseudo - Synodi contra
Pajonii deliria.*

Inter plurima Novatorum monstra, Leyd. verit. Evang. triumph. Erud. Lips. ad An. 1689.
 quæ omni ferme decennio Calvinia-
 na secta, fecundissima illa commen-
 torum Parens progerminare solet, haud
 infima sunt Pajonianorum deliria: Ho-
 rum author erat Claudius Pajonius
 Aurelianensis Præco, & Salmuriensis
 Professor, qui ex Amyraldi erroribus
 (ita ex Monstris monstra procreantur)
 pro ingenii sui intemperantia novam
 hæresin procudit: docuit enim. I. Deum
 ad actiones creaturarum non immediate
 concurrere, sed Deum mundi machi-
 næ in primæva ejus creatione actu li-
 berrimæ voluntatis motum quemdam
 generalem impressisse, vi cujus om-
 nium creaturarum particulares motus,
 etiam contingentes ita dependent,
 fluuntque, ut nova Dei actione, seu
 concursu creaturæ non indigeant.
 II. Cor-